

Odoardo Farnesio, S. R. E. Cardinali amplissim-
mo Robertus Cardinalis Bellarminus salutem dicit.

Ea magnitudo est, Cardinalis amplissime, tuum
in nostrum Ordinem beneficiorum, ut omnes et singu-
los nostrae Sodalitatis alumnos hominibus ^{mirifice} deinde
habes. Tu enim maiores tuos aemulatus, quod illi
inchoarunt, excelso animo perficis; et quod illi per-
fecerunt, magnitudine mentis etiam superare contendis.
Et quoniam bonum laborem gloriosus est fructus; red-
det mercedem plenam Deus, cuius honorem pia libe-
ralitas tua potissimum innotet. Sed et ipsa nostra
Sodalitas, apud quam tantorum beneficiorum me-
moriam ^{nulla} nunquam delebit oblivio, non intermitte-
re per filios atque alumnos suos, grati animi signifi-
cationem, sive scriptis libris, sive sermonibus testificari.
Et ego quidem iam dudum animo destinaveram
dicare tuius, magnum, quod moliebar, opus:
triplicem videlicet explanationem in Apostolum
Paulum, literalem, moralem et dogmaticam: sed
longitudo operis et breve spatium, quod mihi super-
est vitae, et quotidiana occupationes, quae
parum omnino ad scribendum otium mihi relin-
quunt, effecerunt, ut de opere illo perficiendo

plonè desperarem. Quare spirituale opusculum, quod superiore mense Septembri mihi ipse conscripsi, magno illi operi substituendum censi: fretus benignitate tua, apud quam magna voluntas dantis parvitatem domi facile compensabit. Et fortasse opusculum meum non valde dissimile erit magno operi tuo.

Tu enim Societati nostrae, praeter alia beneficia, egregiam domum, in ipsa urbe Roma, magnis sumptibus aedificare pergis: ego tibi domum non manu factam, aethera in celis, non inquam aedificabo (id enim solius omnipotentis Architecti proprium est), sed pro virum mearum tenuitate quasi digito ostendere, et viam ad eam aperire tentabo. Quamvis enim non ignorem, te, ut Principem Ecclesiasticum decet, ab incaute aetate coluisse studia pietatis, et multo magis in aetate matura nunc colere: tamen tanta est humana fragilitas, et ad res terrenas caducasque propensio, ut necesse sit, nisi identidem ad coelestia meditando animum

Serm. IV
de Quatrag.

revoceamus, de humano pulvere, ut loquitur S. Leo, etiam religiosa corda sordescere. Quapropter non exiguis beneficiis nos afficiunt, qui piis opusculis, multis variisque modis nos admonent et excitant, ut quae sursum sunt, non quae super terram, saepe ac serio inquiramus. Sic enim et corde mundantur, et palatum animae curatur, ut homo interior videre pulchritudinem veram, veramque dulcedinem gustare incipiat.

Col. 3

ex quo illud consequitur, ut mundi gloria paulatim nobis irilescat, et carnis delitiae omnino desipiant; ac denique, ut loquitur sanctus Petrus, sic nobis abundanter ministraretur

2 Petr. 1 ut loquitur sanctus Petrus, sic nobis abundanter ministraretur

introitus in aeternum Regnum Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi. Quid enim est abundanter ministrare introitum in Regnum Christi, nisi per varias considerationes aeternae felicitatis multiplices vias sterni, vel aperiri ad ingrediendam domum illam, non tantum factam, aeternam in caelis, quae etiam Civitas superna, et Regnum celorum in Sacris literis dici solet? Atqui hoc est argumentum opusculi mei, in quo per duodecim considerationes, quasi per ^{vias} duodecim investigatur aeternae felicitatis amplitudo et sublimitas, cum maxima utilitate, et voluptate coniuncta? Et, quoniam parum omnino prodest, bonum, quod quaeritur, invenisse, nisi etiam inventum feliciter acquiratur, et sic amittendi timore possideatur; per easdem considerationes ad summum boni adfectionem directa et lata pandatur via, et cursus velox sine intermissione et fatione dirigatur.

Accipe igitur, Cardinalis optime, munusculum, quod et grati animi pro acceptis beneficiis testimonium deferat, et simul non ^{sit} futurum inutile ad obtinendum bonum, quod superat omne bonum, et in quo omnia continentur bona.

De aeterna felic. S. Bonum
sed. Antw. 1616